

VI. Delectatio secundum se non est in tempore. « Igitur dicendum est quod delectatio secundum se quidem non est in tempore; est enim delectatio in bono jam adepto, quod est quasi terminus motus. — Sed si illud bonum adeptum transmutationi subja- ceat, erit delectatio per accidens in tempore; si autem sit omnino intransmutabile, delectatio non erit in tempore, nec per se, nec per accidens.... Delectatio dicitur morosa vel diuturna secundum quod per ac- cidens est in tempore » (S. Th. 1, 2, q. 31, a. 2).

VII. CAUSAE DELECTATIONIS. — 1° Omnis delectatio in operationem reducitur sicut in causam. Ad delectationem requiritur: a) consecutio boni; b) cognitio hujusmodi adeptionis: atqui hae sunt operatio.... — 2° Motus est causa delectationis. — 3° Spes et memoria sunt causae delectationis. — 4° Tristitia est causa delectationis: « saepe laeti tristium meminimus » (S. Aug.). — 5° Actiones aliorum sunt nobis causa delectationis: « Charitas... congaudet... veritati » (1 Cor. 13). — 6° Benefacere alteri est causa delectationis: Amor praecipua causa delectationis est. — 7° Similitudo est causa delectationis. Similitudo est causa amoris. — 8° Admiratio est delectationis causa. Omnia admirabilia sunt delectabilia, sicut quae sunt rara (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 32).

VIII. EFFECTUS DELECTATIONIS. — 1° Delectationis est dilatare (metaphorice) ad continendum interius rem delectantem. — 2° Delectatio secundum quod est in actu, non nisi per accidens sitim vel desiderium sui ipsius causat: ut vero in memoria est, et

non in actu, sitim et sui desiderium causat per se. — 3° Delectationes consequentes actum rationis (ut contemplatio) augent usum rationis: corporales delectationes impediunt. — 4° Delectatio perficit operationem; quia facit attentius operari propriam, sed impedit alienam extraneam (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 33).

IX. BONITAS ET MALITIA DELECTATIONUM. — 1° Non omnis delectatio est mala. — 2° Non omnis delectatio est bona. — 3° Aliqua delectatio est *optimum*: Beatitude. — 4° Delectatio voluntatis est regula bonitatis vel malitiae moralis (est bonus qui gaudet in operibus virtutis): secus de delectatione appetitus sensitivi.

**106. — Gaudii seu delectationis moderatio.** — Delectationes illicitae omnino vitari debent; licitis vero cum moderatione utendum, et ad vitae sustentationem, cum gratiarum actione et intentione Deo placendi. Unde, contra delectationes illicitas adhibenda continentia, verecundia et mortificatio; contra excessus in delectationibus licitis, adhibeatur salutaris praxis alicujus mortificationis, v. gr. in cibo abstineas a minima aliqua portione quae tibi aridet, etc.

**Monita.** — I. Voluntas non vacet tota carnalibus delectationibus licitis; sic noli quasi vivere ad manducandum, sed manduca ad vivendum. — II. Non expedit ut viri perfectionis studiosi, nimis occupentur in delectationibus naturalibus, etsi licitis, procurandis: nec convenit ut nimis frequenter loquantur de mundanis gaudiis, de conviviis, de cibo, de potu, etc.

— III. Etiam in delectationibus rationis seu non mere naturalibus, cavendum a frequenti et clamorosa gaudii explosione, quae animam veluti evaporare facit, sed in omnibus modeste et moderate agendum. Attamen nullo modo laudanda excessiva serietas et haud sociabilis marmoreaue frigiditas quorundam, qui praetextu devotionis, fiunt confratribus nimis graves: « laetamini in Domino, et exsultate justi ». — IV. Advenientibus vere licitis animae gaudiis, anima convertatur in Deum, et magno cordis affectu et vera exsultatione consideret quanto majores et nobiliores erunt coelestes delectationes: unde mundana aspernat et suspiret ad aeterna.

**107.** — *Passiones concupiscibilis quoad malum fugiendum.* — AMORI *contrariatur* ODIUM; DESIDERIO FUGA; GAUDIO TRISTITIA, ut dictum est N. 100.

**108.** *Odiium est displicentia de apprehenso ut repugnanti et nocivo, vel dissonantia appetitus concupiscibilis ad apprehensum ut repugnans.* — HINC: I. Sicut *bonum est objectum amoris*, sic *malum est objectum odii*. Ipsum autem malum seu objectum odii est malum verum vel apparens, sensibile, cognitum in tota sua latitudine, prout comprehendit inhonestum, inutile ac insuave. — II. Causa odii est malum. Dicitur etiam et recte quod odium causatur ex amore: etenim, quia amatur bonum, odio habetur impediens bonum. Aliunde « omnes affectiones causantur ex amore » (S. Aug.). — III. Impossibile est aliquem seipsum simpliciter odisse; quia ens tendit in proprium amorem. Per accidens vero

peccator vere dicitur se odisse quia nocet animae suae, etc. — IV. Amor est fortior odio; quia causa fortior est effectu. Odium aliquando videtur fortius, quia est magis sensibile. — V. Non potest veritas in universali a quoquam odio haberi, sed in particulari potest secundum quod repugnat bono amato: « homines amant veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem » (S. Aug.). — VI. Ira semper est ad aliquid particulare: odium vero potest esse ad aliquid in genere, v. gr. odium in lupum et in omnem lupum.

**109.** — *Odi moderatio.* — I. Odium moderatur amore, utpote contrario suo. — II. Malum absolute, ut peccatum, infernum, odio semper habendum est. Secus, non absolute odiandum est, sed prout aliquod conducit ad peccatum. Unde non absolute praecipitur odio habere animam nostram, sed quatenus refertur ad illicita, juxta illud: « Si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti; felices qui oderunt persequendo, ne perdant amando ».

**Monita.** — I. Cave ab internis impressionibus, seu uti vocant, antipathia adversus proximum, quia non raro sunt veluti initia odii et in odium converti possunt. Unde in amore, leva oculos tuos in altum, id est ama pro Deo et propter Deum, et non ex quasi brutali sensitivismo tantum. — II. Cave ne sub zeli praetextu cor tuum exsiccetur (et charitas destruat) adversus aliquem, quem imperfectum et gravosum decantare non cessas. — III. In diversitate opinionum scholae vel politicae, invigilandum, ne ju-

dicii discordia causet quasi habitualement rancorem contra personas alterius partis.

**110.** — **Fuga** seu **AVERSIO** est *motus appetitivae virtutis quo vivens refugit ab eo quod sibi repugnans et malum deprehendit, vel recessus a malo dissono, seu tanquam a nocivo.* — Vocatur **Abominatio** propter rationem cui conjungitur. — Hinc. *Fuga opponitur desiderio* seu concupiscentiae quia desiderium accedit ad bonum conveniens, fuga recedit a malo disconveniensi, ut illud evitet.

**111.** — **Fugae moderatio.** — Fugiendum verum malum ut peccatum et occasiones seu pericula peccatorum, juxta dicta in *Th. Morali*. Alia mala non absolute talia, quaeque simpliciter mala non sunt, non solum non semper fugienda, sed et saepe amplectenda, quando scilicet sunt quid bonum pro anima nostra. Sic patienter amplectenda poena mortificationis, afflictiones et labores quibus Deus amicos suos probari permittit.

**Monita.** — I. In negotio salutis corporalis non excessivo et inquieto modo agendum ut ab omnibus incommodis praeservemur: aliter vita nostra fiet tota fere sensualis et delicata, magno cum spiritualis profectus nocumento. Attamen cavendum ab imprudentiis saluti corporis nocivis. — II. Cavendum ne ad physicas vel morales molestias fugiendas, laedatur justitia vel fraterna charitas. — III. Fugiamus vanitates utpote quae sub boni materialis specie saepe malum animae absconditum tenent. Ergo « fugiamus hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne quod ma-

gnificum putatur esse: ubi qui se putat aliquid esse, nihil est, et omnino non est » (S. Ambros. *de fuga saeculi*, c. 5).

**112.** — **Tristitia** est *quidam motus quo appetitus affligitur, perturbatur et inquietatur de malo praesenti, vel inopia appetitionis.* *Tristis* idem sonat ac *tritus stans*, quia tristitia terit, id est affligit et consumit corpus. — **TRISTITIA VOCATUR ETIAM Dolor.** — Dolor qui est proprius hominis, dividitur in *miseritiam, invidiam, acediam, angustiam*, quibus addunt *poenitentiam*, quae per se est objectum tristitiae, et *nemesim* et *zelum* quae ad invidiam pertinent. — *Miseritiam*, est dolor de malo alieno, reputato ut proprio. *Invidia*, est tristitia de bono alieno reputato ut malo proprio. *Angustia*, est aggravatio animi, quae nullum relinquit effugium. *Acedia* (gallice *abattement*), est quando aggravatio ista venit usque ad membra exteriora, et ponit in eis quasi stuporem, praesertim vocem impediendo. *Poenitentia*, est dolor de malo proprio. *Nemesis*, est tristitia de bono temporali alieno, reputando aliquem illo indignum. *Zelus*, est tristitia de excellentia aliena, dum deest zelanti. — *Tristitia non est idem quod dolor: sed ejus species, ut gaudium delectationis.* — Tristitia esse potest de praesenti, praeterito et futuro; sed dolor corporalis non potest esse nisi de praesenti » (S. Antonin. p. I, tit. 6, cap. 6).

Hinc. — I. *Delectatio et tristitia ex suis objectis contrariantur invicem.* — Non omnis tristitia omni

delectationi contrariatur, v. gr. tristitia de morte amici et delectatio in contemplatione. — Delectationi, quae de ipsa contemplatione est, nulla tristitia contraria est, nec ei admiscetur, nisi per accidens: quia objecto contemplationis non est contrarium, nisi per accidens. — Fortior est appetitus delectationis, quam fuga tristitiae (secus per accidens): « Bonum est fortius quam malum » (S. Dionys.): Etenim delectatio est de bono, tristitia vero de privatione boni. — Dolor interior potior est quam dolor exterior: quia interioris apprehensio est altior, quam exterioris, et quia patimur dolorem exteriorem, ut vitemus interiorem.

II. CAUSAE TRISTITIAE SEU DOLORIS. — 1° Magis proprie est causa tristitiae vel doloris malum conjunctum, quam bonum amissum. Amissio boni apprehenditur sub ratione mali. — 2° Concupiscentia est causa doloris. Non vero universalis causa doloris. — 3° Amor vel appetitus unitatis est causa doloris. Dolor ex S. Aug. est « quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens ». — 4° Voluntas resistens potestati fortiori causat dolorem: si enim non resisteret, sed cederet consentiendo, non sequeretur dolor, sed delectatio — (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 36).

III. EFFECTUS DOLORIS VEL TRISTITIAE. — 1° Dolor intensus minuit et saepe aufert addiscendi facultatem. — 2° Tristitia maxime animum aggravat, et saepe animi et corporis motum impedit. — 3° Tristitia impedit seu debilitat operationem, si proveniat

ex operatione: auget operationem, si est principium operationis, modo remaneat spes expellendi (Delectatio perficit operationem). — 4° Tristitia inter omnes animae passiones magis corpori nocet: quia excedit moderatam motionem cordis in alia membra — (Ita ex D. Thom. 1, 2, q. 37).

IV. REMEDIA TRISTITIAE SEU DOLORIS. — 1° Delectatio expellit vel saltem minuit tristitiam. Delectatio enim est quies animi. — 2° Fletus et gemitus tristitiam minuunt. Sic malum exit ad extra... — 3° Naturaliter amicus condolens in tristitiis est consolativus, quia sic tristis ex hoc percipit se amari et sublevatur. — 4° Per contemplationem dolor et tristitia mitigantur. In contemplatione veritatis maxima delectatio consistit; omnis autem delectatio dolorem mitigat (Ita ex D. Thom. 1, 2, q. 38). — 5° « Tristitia secundum suam speciem repugnat vitali motioni corporis; et ideo illa quae reformant naturam corporalem in debitum statum vitalis motionis repugnat tristitiae, et illam mitigant » (Id. ibid. a. 5). Et in hoc sensu dicitur quod per somnum et balnea, dolor et tristitia mitigantur (*Ibid.*). — De balneorum opportunitate saepe decidere possunt soli medici.

V. BONITAS ET MALITIA TRISTITIAE VEL DOLORIS. — 1° Non omnis tristitia est malum. Tristitia enim de malo est bona. — 2° Tristitia potest esse bonum honestum, si procedit ex rectitudine voluntatis et rationis (beati qui lugent): et bonum utile si repellit contristans, seu si est in fugiendo quod contristat. — 3° Dolor corporis non est summum malum: quia

est poena, et culpa est majus malum: in omni tristitia est aliquid boni, cujus carentia potest fieri pejus (Vide D. Th. 1, 2, q. 39).

**113. — Tristitiae moderatio.** — Multum juvat ad tristitiam moderandam conformatio divinae voluntati, vita innocens et patientia, quia tunc magis apparent amor animae erga Deum qui est vera laetitia cordis, et ratio salutaris probationis per quam aeterna gaudia paucis terrenis doloribus comparantur. — *Tristitia inordinata ex parte objecti*, v. gr. tristitia de absentia occasionis peccandi, moderatur per tristitiae conversionem ad licita v. gr. per contritionem ac considerationem foeditatis peccatorum. — *Tristitia inordinata ex parte modi*, v. gr. excessivus dolor et quasi desperatio ob mortem amici, moderetur per motiva fidei, per orationes, etc., imo et per media naturalia.

**Monita.** — I. « Servo Dei non convenit exterius tristitiam ostendere, aut faciem habere conturbatam » (S. Franc. Assis. *opusc. apophteg.* 18).

II. Cavendum ne tristitia in quamdam quasi insaniam ducat ac proinde non solum fide, sed et ratione moderanda; « tristitiae medicus est ratio » (S. Aug. conc. 5, *de grat. action.*)

III. Si vis perfectus esse, expelle a te tristitiam nimiam, seu non rationalem: nam « sicut tinea comedit vestimentum, et sicut vermis rodit lignum, ita tristitia nocet cordi » (S. Bern. *serm.* 11, *ad sororem*).

IV. Si tristaris, videas utrum tristitia perseverat

quia otio indulges. Etenim « occupatio prodest tristibus, ut obliviscantur tristitiae » (S. Bonav. *de prof. relig.* c. 33). Unde valde reprehendendi qui tristitiae praetextu, meditabundi permanent, et inutilibus et saepe insanis considerationibus circa objectum tristitiae illam foveant, nutriunt et adaugent.

V. Si tristis es, non facile credas novis motivis quae tuam tristitiam quasi confirmant, sed crede viro prudenti et devoto; nam « triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, moesto cordi lamentabile apparet » (S. Greg. Magn.).

VI. Illis qui peccatis inquinati tristantur, absque vero conversionis proposito, dicendum: « Si vis nunquam tristis esse, bene vive: segura conscientia tristitiam leviter sustinet, bona vita gaudium semper habet » (S. Isidor. l. 2, *de Synon.* c. 11). — Justi autem saepe etiam valde tristantur ad probationem, sed diversimode.

VII. « Tristemur tristitia, quae gaudii sit mater: et non laetemur gaudio, quod tristitiam pariat. Tristemur tristitia, ex qua germinetur requies et recoillatio » (S. Chrysost. *serm.* 15, *ad Philipp.*). Quam dulces lacrymae contritionis! quam suaves lacrymae ex zelo animarum provenientes, charitatem excitantes!

VIII. Tristitia bona est pacifica compunctio. Unde « saeculi tristitia est, aut de amissis rebus propriis, aut de alienis non invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri: secundum Deum vero, tristitia est sive sua, sive aliena lugere commissa » (S. Hieron. *sup.* 1 *Corinth.* c. 7).

IX. Mansuetudo tristitiam fugat: « Tristitia tranquillum animum ac mitem non patitur, et ad cuncta operationum officia impatientem et asperum reddit » (Joan. Cass. l. 9, *coenob. inst.* c. 1).

X. « Tristitiam facile vincit, qui nil terrenum novit amare » (Kempis, *de recognit. prop. fragil.* c. 4).

**Concludendum.** — 1° « Tristitia, quae hominem ad malum fugiendum vel vitandum impellit, maximam illi praestat utilitatem » (S. Th. 1, 2, q. 39, a. 3). — 2° « Felix tristitia, quae non de creatura, sed de Creatore concepitur, quae nulla praesentis vitae luget incommoda; dignum plane est, ut Deum totius consolationis consolatorem habeat » (Rich. Vict. p. 1, *de Grad. charit.* 2). Talis fit etiam totus devotus; totus misericors erga proximum, nec quaerit quae sua sunt. — 3° « Absque illa, quae vel pro salutari poenitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tanquam saeculi, et quae mortem inferat, aequaliter repellenda est, ac penitus extrudenda » (Joan. Cass. *loc. cit.*). — A fortiori, destruenda illa falsa tristitia (seu potius *quasi-desperatio* specie virtutis contritionis et desiderii perfectionis vestita), quae animam peccatoris et devoti inutilem reddit ad Dei famulatum.

ART. III. — De Passionibus irascibilis speciatim.

**114.** — **Praenotandum.** — « In passionibus autem irascibilis praesupponitur quidem aptitudo vel inclinatio ad prosequendum bonum vel fugiendum malum ex concupiscibili, quae absolute respicit *bonum* vel *malum*; et respectu boni nondum adepti est *spes* et *desperatio*: respectu autem mali nondum in-jacentis, est *timor* et *audacia*; respectu autem boni adepti non est aliqua passio in irascibili quia jam non habet rationem ardui... sed ex malo jam in-jacente sequitur passio *irae* » (S. Th. 1, 2, q. 23, a. 4). — Agemus ergo de quinque passionibus irascibilis, quae sunt: *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor* et *ira*.

**115.** — **Spes** est motus in bonum apprehensum ut arduum, cujus consecutio possibilis videtur. — Etymologice, « spes idem dicitur quasi *pes*; quia est *pes* progrediendi ad ardua » (S. Antonin.).

Hinc. — I. *Spes* differt specie a desiderio seu cupiditate. Desiderium enim respicit bonum futurum absolute: spes vero bonum futurum arduum. Spes tamen supponit desiderium. — Aliquando motus spei dicitur *expectatio*.

II. Spei passio est etiam in brutis, nam si canis videat leporem nimis distantem non movetur ad ipsam, quasi non sperans se eam posse adipisci. Diverso tamen modo reperitur in homine et in brutis;

nam in brutis iste motus excitatur ex naturali instinctu, in homine fit proprio discursu per directionem intellectus. — *NOTA*: « Quamvis bruta animalia non cognoscant futurum, tamen ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid futurum, ac si futurum praevideret: hujusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu divino praevidente futura. — Appetitus sensitivus brutorum animalium, et etiam appetitus naturalis rerum insensibilium sequuntur apprehensionem alicujus intellectus; sicut et appetitus naturae intellectivae, qui dicitur *voluntas*. Sed in hoc est differentia, quod voluntas movetur ex apprehensione alicujus intellectus conjuncti; sed motus appetitus naturalis sequitur apprehensionem intellectus separati, qui naturam instituit; et similiter appetitus sensitivus brutorum animalium, quae etiam quodam instinctu naturali agunt. Unde in operibus brutorum animalium et aliarum rerum naturalium apparet similis processus, sicut et in artis operibus. Et per hunc modum in animalibus brutis est spes et desperatio » (S. Th. 1, 2, q. 40, a. 3). — *Nota notae*: Appetitus naturalis est inclinatio entis ad aliquam rem sibi convenientem, et cuilibet rei inest, ut habent philosophi.

III. Experientia est causa spei, nam est causa spei omne illud quod auget potestatem hominis, ut divitiae, experientia, etc.: unde nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Attamen experientia aliquoties est causa desperationis. Stultitia et inexperientia sunt causa spei per accidens. — In juvenibus

et ebriosis abundat spes; quia objectum spei est futurum arduum possibile, et juvenes habent plus de futuro, abundant spiritibus, carent experientia: ebrii vero non considerant difficultates.

IV. Spes in quantum respicit bonum speratum, ex amore nascitur: sed in quantum respicit eum per quem nobis aliquid possibile fit, amoris ejus est causa. — Spes operationem juvat intendendo ipsam, et causando delectationem: unde existimatio ardui excitat attentionem, existimatio possibilis non retardat conatum. — *NOTA*: « Spes per se causat delectationem, sed per accidens est ut causet tristitiam, » ait D. Thomas — (Circa *passionem spei*, vide D. Th. 1, 2, q. 40).

**116.** — *Spei moderatio.* — Spes avertatur a bonis caducis et aliis similibus objectis. Item, a mediis indebitis ipsius spei: ac proinde non ponatur spes in hominibus et principibus, sed in Deo. Item, a modis non rectis in sperando, sive ab imprudentia et inconsideratione in agendo quae possibilia non sunt, quod non raro accidit juvenibus, qui consilium non quaerunt, etc.

**Monita.** — I. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. — II. Non alligetur cor tuum creaturae a qua honores et favores spectes, sed jaeta cogitatum tuum in Deum. — III. « Illi qui non sperant in Dominum, spes illorum mortalis, spes illorum caduca, fragilis, volatica, transitoria, inanis erit » (S. Aug. *sup. Ps.* 36, 3). Unde astante favore et felicitate mundana, non consistas in illa,